



PROLEGOMENA.

QUOD absolutam modo, Lector erudite, Editionem hanc N. T. certis de causis aliquandiu apud me premendam duxerim, instabant Amicorum aliqui, ut omnia primum lectionum, quasque sparsim ad marginem Editionis adscripseram Notularum auctario eam locupletarem; tum autem ut nudæ Præfationis loco, quæ rationem Operis paucis quibusdam, uti jam moris est, perstringat magis quam aperiat, in ampliora longe diffunderer, otioque meo & mora hac haud indigna Prolegomena. Superesse nimirum ad opus hoc numeris suis absolvendum, primo quidem ut de Libris ipsis N. T. sive *Canone*, quem vocant, accuratius paulo differerem: deinde vero ut ipsius Textus S. statum & conditionem, uti vulgo loquimur, (quo modo nempe quovis Seculo se haberit; quas ab Hæreticis, Orthodoxis, aliis mutationes subierit; & hujusmodi porro alia) jam ab ipsis N. T. incunabilis, per omnia Ecclesiæ Secula, ad hoc usque nostrum, ordinate describerem, ac *μὴ λ' ἱστορίαις*. Nostrarum certe hoc jam esse partium: & absque præmissis istis Canonis N. T. Sacrique Textus Annalibus, quos vocabant, haudquaquam responderi posse votis & expectationi Eruditorum. His Amicorum haud vulgarium stimulis excitatus, Operi me protinus accingo. Lectiones variantes Exemplarium quorundam & Versionum tardius conquiritas, ut & Annotatiunculas meas quales quales, in Appendicem conjectas, quam primum commode liceret, Typis trado. De Libris N. Fœderis, & Canonis constitutione Dissertationem justam conficio. Tandem vero etiam S. Textus historiam aggressus sum: in qua certe conscribenda, quamvis viam mihi ex parte præmonstrasset *Historiæ Criticæ Textus N. T.* Scripserunt eruditus; tantam tamen ubique fere caliginem, tot salebras & difficultates pene insuperabiles deprehendi, ut eam ægre demum, nec nisi post indefessum aliquot annorum studium, ad finem perduxerim. Tractatus igitur hujus Præliminaris, quem jam elucubravit, tres præcipuæ sunt partes. Prima agit de Libris singulis N. Fœderis, & Canonis constitutione. Secunda Textus ipsius Sacri Historiam qualemcunque complectitur. Tertia nostræ hujus Editionis N. T. consilium, quidve in ea præstiterim, fusius exponit.

PARS PRIMA.

De Libris N. T. & Canonis constitutione.

2 De Canonicis Libris N. T. aliquid jam scripto traditurus, à principio nostræ religionis ordior, sive D. JESU Christi baptismo, quando jam tricenarius^a, atque adeo *Magistri ætatem perfectam habens*^b, elegit Apostolos, qui ipsi per omne tempus prædicationis adessent, ac testes forent miraculorum ejus, & in primis Resurrectionis mox futuræ. Ad Testimonium hoc ferendum apud *omnes gentes*^c, (seu Judæos ex qualibet gente, ac postmodum gentiles ipsos) idonei facti fuere per Spiritus S. descensum. Abhinc enim^d variis lin-

guis loquebantur magnalia Dei; Petrus autem speciatim, in præsentia Judæorum qui tum Hierosolymis ex omni gente convenerant, è Prophetarum Scriptis fusius demonstrabat JESUM Nazarenum, cujus resurrectionis jam testes erant, verum esse Messiam. Concione ista conversos legimus è Judæis istis ac Profelytis^e circiter ter mille; quibus additi erant Fideles *καὶ ἑπαισται*. adeo ut brevi exurgeret numerus ad virorum^f quinque milia. His accessit paulo post multitudo credentium in Domino, virorum ac mulierum; eorumque numerus post aliquantulum tempus longe adhuc magis crescebat; Apostolis quotidie cum publice, tum etiam *κατ' οἴκων* Christum prædicantibus, donec ex Stephani cæde, orta que inde Persecutione, dispersio facta esset Ecclesiæ. Ingravescente vero Persecutione hac, haud sine singulari plane divinæ Providentiæ miraculo factum est, ut primo Apostoli ipsi permanere permitterentur Hierosolymis; (quo melius scilicet Ecclesiæ rebus in communi consultum foret) tum vero ut Saulus, qui jam in Christianos maxime sæviebat, ex Persecutore fieret Apostolus.

Omni isto tempore, & per aliquot post annos, Apostolis (in quorum numerum cælitus jam cooptatus³ erat D. Paulus) prædicationi Verbi jugiter intentis, haud vacabat certe quidquam in usum Fidelium Scriptis consignare. Quæque demum sub eorum nominibus primum prodire, breves duntaxat, aut certe haud adeo prolixæ Epistolæ erant, quibus Ecclesiæ à se recens fundatas seu plenius instructas, seu ab erroribus, aut etiam vitiis repurgatas volebant.

Ex his quæ hodieque exstant, prima quidem omnium est prior, quam scripsit D. Paulus ad *Thessalonicenses*. Cum Apostolus noster, itinere per varia loca facto, venisset tandem Thessalonicam^h, ibique per tria sabbata in Synagoga Judæorum Evangelium prædicans, aliquot ex Judæis, ex Gentibus autem multitudinem magnam, ac foeminas primarias haud paucas ad Fidem convertisset; veritus jam ne forte se absente ipsorum fidem labefactasset è *πειρασμῶν*, misit Timotheum (unaque Silam, ut apparet ex *Act. 18. 5.*) ut ipsos in fide roboraret, ac ad perseverantiam hortaretur. Ipsi autem Thessalonica reversis, fusiusque exponentibus, quo in statu res ibi fuerint, scripsit mox hanc quam habemus ad *Thessalonicenses* Epistolam. Post reditum, inquam, Timothei: illud enim diserte testatur, Cap. 3. v. 6. hujus Epistolæ. Ideoque non *Athenis* hanc scripsit, quod volunt Exemplarium MSS. & Excusorum *ὑπογραφή*. nondum enim redierat Timotheus è Macedonia, cum Paulus Athenis ageret; sed *Corinthi*, ubi jam versabatur, cum ad eum reverterentur Silas & Timotheus. *Act. 18. 5.* circa annum æræ Vulgaris LII.

Ipsius autem divinæ auctoritatis, in ipsis ejusdem verbis indicia apparent satis luculenta. Neque enim *Pauli* modo est, sed & illius speciatim, qui *παράγγελος* in hac Epistola comprehensas *Thessalonicensibus* suis dederit *ἄγγελος ἑννοῦ*: adeo ut qui ipsius auctoritatem rejecerit, non hominem rejiciat, sed ipsum Deum, qui Spiritum

Epistola I. ad Thess. scripta circa annum Christi LII.

^a *Lus. 3. 23.* ^b *Iren. l. 2. c. 39.* ^c *Mat. 28. 19.* ^d *Act. 2. 4, 11, &c.* ^e *Act. 2. 41, 47.* ^f *Act. 4. 4.* ^g *Act. 8. 1.* ^h *Act. 17. 1.*